



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. XII. An emptor rei alienæ teneatur hanc domino restituere cum jactura pretij à venditore recipiendi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

§. XII.

An Emptor rei alienæ teneatur hanc Domino restituere cum jactura pretij à venditore recipiendi.

236. Certum est primò esse reddendam Domino, si à fure venditore facile is recuperari potest pretium. Secundò etiam, quando non est spes pretij recuperandi etsi furi restituatur. Extra hos Casus.

Dico si re furi restituta spes est rehabendi pretium ab illo, facta autem Domino restitutione est periculum amittendi pretium, probabilius est Emptorem posse licitè furi reddere, etsi Dominus eam non sit recepturus Lugo *Disput.* 13. n. 29. Haunold. *tr.* 3. n. 260. contra Molin. *Disp.* 722. fur duplicem habet obligationem in casu præsentis; prior est obligatio reddendi verò Domino rem in se, vel saltem in æquivalenti; posterior reddendi pretium Emptori rei furtivæ, quam hic retinere non potest; priori fur non potest satisfacere, nisi Emptor rem ipsi restituat, unde fur habet jus eam ab Emptore repetendi (dum fur est paratus eam reddere Domino) si hic vult recipere pretium, Emptorque tenetur reddere, imò est fur prævideatur non restiturus rem Domino, adhuc si vult rehabere pretium, debet furi reddere; quod probatur: obligatio restituendi rem furi parato restituere non innititur voluntati restituendi, sed juri quod habet ad repetendam rem, fur enim obligatur restituere, in hac au-

tem obligatione fundatur jus repetendi rem ab Emptore volente rehabere pretium independentem, sive recluso quovis furis animo, sicut servus Domino obligatus præstare Operas habet jus petendi alimenta à Domino secluso omni servi animo, quia jus in alimenta fundatur in obligatione præstandi operas.

Probatum secundò nullus secluso præcto cum suo notabili damno tenetur defendere rem alienam, eamque à fure liberare, atqui Emptor bonæ fidei sine notabili suo damno scilicet sine pretij jactura nequit rem furtivam defendere ac à fure liberare, atqui si teneretur illam Domino reddere teneretur liberare cum jactura pretij.

Respondebis res in omnibus Emptoris existens est jam liberata à fure, ergo jactura pretij non restituendi non est rei liberatio, & defensio ergo ex hoc, quod non obligetur eam tueri, ac liberare non est justus titulus illam furi reddendi pro pretij recuperatione; Contra enim est, quod quamdiu res non revertitur ad Domini possessionem, non sit plene liberata, sed in via liberationis; moraliter enim confligunt fur venditor, & Emptor hic repetendo pretium, ille denegando, nisi restituatur res, ergo Emptor restituendo rem aliud non facit, quam liberationem



nem rei interrumpit, seu non continuat, quod esse licitum patet in obvijs instantijs: sic ego constitutus in actuali rei tuæ ex incendio exportatione possum illam permittere relabi in flammam prævidens me aliàs facturum jacturam proprii pallij, quia purè permissivè me habeo, quod res tua conflagrabit, sed etiam Emptor restituendo rem furi habet se parè permissivè respectu damni Domino secuturi: quia licet repositio rei in manus furis sit actio positiva in sensu physico, est tamen permissiva in sensu morali, quia non est ablatio rei à possessione Domini, sed supponitur subtracta à fure, emptorque eam reponit in statum pristinum, proinde restitutio facta furi non est deterioratio status, in quo fuit ante Emptionem, sed est repositio ad statum pristinum, ut patet ex instantia rei tuæ à me repositæ ad incendium ut salvem propriam pallium.

Amplia probabilius conclusionem ad Emptorem conscium, quod res venalis sit furtiva. Ita Lugo *num. 73.* cum Haunold. *cit. juncto num. 253.* contra Less. *Lib. 2. c. 14. n. 19.* plurimòsque alios nobiscum consentientes de Emptore bonæ fidei. Ratio nostra est quod nulla sit solida disparitas inter bonæ, & malæ fidei Emptorem in hoc puncto: nam certum est, quod Emptor malæ fidei non teneatur reddere Domino titulo rei acceptæ, aliàs teneretur etiam Emptor bonæ fidei: non etiam titulo injustæ actionis, seu Emptionis, quia ut actio injusta sit titulus obligans ad restitutionem Domino faciendam, debet actio esse vera causa, cur Dominus re suâ careat, aut patiatur damnum, ac qui Emptio rei alienæ etiam scienter facta non est causa cur Dominus careat re sua aut patiatur damnum, sed actio furtiva seu ab-

lativa rei è possessione naturali Domini, 237. Objicies primò est illicitum rem positam in statu meliore dejicere in deteriorem, sed apud Emptorem est in statu meliore, quàm apud furem, ergo eam apud eum reponere est illam dejicere in statum deteriorem. Confirmatur: talis repositio est similis casui, in quo res tua penitus ex incendio eliberata à me projiceretur ad incendium, quod foret injustum, esto mihi quis minaretur tantundem nocere, nisi id facerem.

Secundò mortuo fure venditore debet rem reddere Domino, uti etiam hoc petente, licet fur vivat, ergo etiam eam Domino non repetente debet restituere cum pretij jactura.

Respondeo ad primum major est vera de positiva dejectione morali, secùs de permissiva, emptor reddendo furi non eam dejicit moraliter positivè, sed positivè physicè, moraliter autem permissivè: offert enim furi occasionem satisfaciendi suæ obligationi, nec teneretur supplere defectum animi furis cum jactura pretij. Responderi potest secundò ex probatione prima negando majorem, quando est obligatio eam dejiciendi prout est in nostro casu titulo juris, quod habet fur ad repetendam rem ab Emptore fundatum in obligatione restituendi eandem Domino.

Ad Confirmationem primam est disparitas duplex, prima, quod minus mihi rapinam non habeat jus, ut res tua à me ex incendio eliberata rejiciatur ad idem, fur verò habet jus ad restituendam sibi rem venditam, ut possit satisfacere obligationi suæ. Secunda: quod rei extractæ ex incendio detrusio, dum supponitur penitus eliberata, sit actio moralis



saliter positivè cooperans combustioni, oppositum ostendimus in casu nostro.

Respondeo ad secundam, quod mortuo venditore sit restituenda Domino, est ideo, quod Emptor ne queat amplius contractum rescindere, in cuius rescissione fundatur jus Emptoris reddendi venditori, ut pretium recipiat. Petente Domino rem non tenetur eam ad ejus domum deferre, sed non impedire volentem recipere, nec occultare Lugo n 32.

Pro Reliquis Nota primò quod Judex fori externi Emptorem justè condemnet ad rem restituendam Domino non furi, huac autem, si invenitur, coget ad reddendum pretium, si non invenitur, præsumitur fraus in Emptore, qui non vult eum prodere; si prodit, & non apparet, jam casus redit, in quo Domino res restituenda est. Hinc non est paritas ad judicem fori interni, quod etiam ipse pos-

sit Emptorem adigere ad restituendum Domino; Confessarius enim nequit venditorem compellere ad pretij redditionem.

Nota secundò quod Emptor non possit vendere rem, ut pretium recipiat, est exinde, quod non Dominus nequeat justè vendere, ut recipiat pretium, è contra Emptor justè reddit rem furi propter jus eam repetendi.

Nota tertio non esse paritatem à depositario gladij Petri, cui non potest restituere sciens, quod eo abuteretur ad vulnerandum tertium; quia depositarius per non restitutionem gladij nullum, ut supponitur, patiatur damnum; Emptor autem in nostro casu patereur damnum, si depositarius prævideat se necandum, nisi reddat, potest reddere, etsi sit tertius necandus, hoc casu est instantia pro nobis & retorquetur in adversarios.



§. XIII.

*Ad quem spectet periculum rei venditæ ante, vel post  
hujus traditionem, & fructus.*

238. **V**enditio secundum Juristas alia est ad corpus, sive ad speciem, alia secundum genus. Vendere rem ad corpus est idem ac apud Theologos vendere rem determinatam, sive in individuo E.g. huac equum; vendere rem secundam genus est idem, ac apud Theologos vendere rem indeterminatam, sic emere viginti mensuras vini ex cellario est emere genus, quia res Empta est indeterminata,

cum non determinentur mensuræ hæ præ alijs venalibus. Genus Emptum dupliciter potest esse indeterminatum. Primò tam in se, quam in alio, ut si non tantum mensuræ vini sunt in se indeterminatæ, sed nec aliud, nempe certum, ac determinatum vas eas continens. Secundò, ut genus sit in se indeterminatum, determinatum tamen in alio, ut

emo